

Christi 1098. Primus quoque Cistercio abbas præfuit; sed non diu post, abdicata apud Cisterciensibus præfectura, ad Molismenses revertitur, ejusdem reditum apud summum pontificem Urbanam II urgentes; prout in dicto Commentario, § 3, pluribus licet videre, uti et alia, quæ ad laudatum sanctum fundatorem istum spectant.

54. Loci situm Gaspar Jongelinus in notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis describit pag. 6: « Cistercium (*Cîteaux*) archicœnobium et caput ordinis, sub regula S. Benedicti, situm in diœcesi Cabilonensi (*Châlons-sur-Saône*) quinque circiter leucis ab urbe Divione (*Dijon*)... distans, in ducatu Burgundiæ. » Cæterum primæ Cistercii filiæ, nomine Firmitati (vulgo *La Ferte*) in diœcesi Cabilonensi ad Gronam fluvium cœnobio; ac filiæ secundæ, cui nomen Pontigniacum (*Pontigny*) in territorio Antissiodorensi sita, ut videsis apud Jongelinum a pag. 16, successit tertia ejusdem Cistercii filia Claravallis; ubi sanctissimum abbatem nostrum, quem eo proficiscentem Cistercio tantisper reliquimus, iterum convenimus. Meretur autem locus etiam ille, sancti regimine, virtutibus ac prodigiis adeo longe lateque nobilitatus, ut de ejus situ, fundatione ac elogiis, antequam progrediamur ad alia, præmittamus sequentia documenta.

55. Guillelmus biographus cap. 3, num. 28: « Erat, inquit, Claravallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Abba (*l'Aube*) antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis Absinthialis, seu propter abundantiam ibi absinthii copiam, seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. » Et cap. 4, num. 40 auctor idem de eodem loco hæc narrat: « Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hine inde montium angustias, quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti Benedicti Patris nostri quodammodo representabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. » Nicolaus Hacqueville, senatus Parisiensis præses, vallem non solum montibus circumdatam, sed etiam fonte perenni, præter interfluentis Albæ aquas, scatentem memorat in carmine de laudibus S. Bernardi, et situ Claravallis, quod apud Mabillonium, operum ejusdem Patris editorem, recusum est volumine II, col. 1305.

*Abdita vallis erat, mediis in montibus, alto
Et nemore, et viridi tunc adoperta rubo...
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.*

56. Apud laudatum operum S. Bernardi editorem a col. 1306 habetur descriptio positionis seu situationis monasterii Claravallis, ubi præter alia plura, quæ legi possunt in eadem descriptione (quæ incerto auctore, monacho tamen, ut apparet Manrico ad annum 1115, cap. 2, num. 1, Claravallensi, inter opera Bernardi circumfertur, nec sine sale), notantur ista in editione Mabillonii col. 1309: « Hic ergo

A fons... ex opposito solis orientis oritur, ita ut æstivo solstitio roseam rutilantis auroræ faciem ex adverso salutet... Ubi cum mons evomit, vallis deglutit; et in loco, quo oritur, eodem quasi moritur, quin et sepelitur. Sed ne exspectes signum Jonæ prophetae, ut tribus diebus, et tribus noctibus delitescat absconditus. Statim ad mille passus intra claustrum monasterii, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, et quodammodo redivivus apparet, visui tantum et usui fratrum se offerens, ne cum aliis, quam cum sanctis sors illius amodo sit futura. » Ita ille alludit ad dictum fontem. Jam vero domus etymon Manricus citatus ita describit num. 5: « Monasterio Claravallis nomen inditum in claritatem pro modo occupationis et exercitii, veteri communita amaritudine. Unde versus: »

In vallem claram vallem convertit amaram.

B Guillelmus cap. 3, num. 28, de sancto abbate ac sociis, primis loci incolis, hæc refert: « Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei et domum orationis. »

C 57. Manricus ad annum 1115 supra designatum, cap. 2, num. 1, non videtur exploratam satis habuisse laudati jam sæpe loci fundationem, quando de primis eodem loci advenis ita statuit: « Casu invenerint, an admoniti quæsierint, incertum: constat pervenisse ad locum satis horridum, latronum, ut ferebant, receptaculum... Crediderim omni ope destitutos elegisse hunc locum, nulli incolarum usui proficentem; noxium potius, eoque longe facilius obtinendum. » De prima itaque loci donatione seu fundatione dicendum etiam nobis est. Volumine I editionis Mabillonianæ, ubi sunt opera sancti. Patris genuina, col. 45 exstat epistola 31 ad Hugonem comitem Campaniæ ab ipso scripta, in qua sic loquitur: Possumusne oblivisci antiqui amoris, et beneficiorum, quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Sanctus itaque Pater his verbis proficitur gratam animi memoriam erga Hugonem, primum sui Claravallis cœnobii fundatorem, prout conficitur ex instrumento, quod Petrus Franciscus Chiffletius inter probationes suæ illustri genere S. Bernardi Diatribæ, pag. 513, ex autographo Claravallis acceptum primus vulgavit. (*Exstat supra in notis ad epistolam 31 S. Bernardi, Opp. tom. I.*)

D 58-59. Apud Mabillonium in notatione ad supra dictam epistolam S. Bernardi, quæ notatio habetur inter alias ad tomum I ejusdem sancti Patris, et ad calcem voluminis I, de quo dicebam paulo ante, observantur ista in rem nostram post tabulas fundationis modo datas e Chiffletio, col. 49: « Quod spectat ad annum fundationis, qui non exprimitur in his tabulis; idem (Chiffletius videlicet, quem tu consule in Appendice ad Diatribam, cap. 20) auctoris sancti Mariani Antissiodorensis Chronographum secutus, refert ad annum Christi 1114, mense Junio. Et quidem de mense conveniunt omnes: quod annum vero, cum tam externa quam domestica in-

strumenta refragari videantur; inter alia vero Exordium Cisterc. dist. 2, cap. 1, tabella sancti Bernardi tumulo appensa, quæ disertis verbis annum 1115 exprimit; receptæ jam dudum sententiæ adherere satius videtur: cum alioqui vix Bernardus professionem emisisset mense Junio ann. 1114, et Hugo ipse, qui locum concessit, adhuc in Oriente versaretur. Claravallis itaque primo quidem ab Hugone Campaniæ duce fundata; postea vero anno 1135 in ampliorem locum translata, opitulante Theobaldo ipsius successore, nova fabrica donata est: unde primi fundatoris nomen obtinuit apud aliquos, translationem cum fundatione confundentes, ut bene monet Manricus in Annalibus ad annum 1115, cap. 1. » Sententiam hanc, quæ mihi magis arridet, quam Chiffletiana, ita declaro et confirmo:

B 60. Chiffletii ratio alia, quam primo loco ponit pro anno 1114, illo nititur fundamento, quia « cepit anni ejusdem mense Julio, undecima die mensis, Morimundus, minor natu filia, quippe inter Cistercii filias numero quarta; cum tertia ex ordine natalium censeatur Claravallis. » Verum Morimundi fundatio a Jongelino innectitur anno 1115; idem fit a Manrico ad istum annum cap. 1; idem a Sammarthanis tomo IV Galliæ Christianæ, pag. 673. Monumenta autem Claravallis, quæ Chiffletius in Appendice designata sibi objicit contra annum 1114, fundatæ Claravallis, sunt 1º antiqui versus:

*Annus millenus ter quintis connumeratur,
Nec non centenus, vir sanctus quando creatur
Abbas.*

C « Deinde tabella S. Bernardi tumulo appensa, in qua legitur: *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Junio, missus fuit (S. Bernardus) cum fratribus germanis, et conventu suo, ad locum istum, qui nunc vocatur Claravallis: antea autem Vallis Absinthialis dicebatur.* » Ad versus ita respondet Chiffletius: « Nisi me conjectura fallit, indicant versus illi consecrationem S. Bernardi in abbatem... Quæ ante annum Christi 1115 facta esse vix potuit... Quare a primo eorum in Claramvallem adventu, quod in anni 1114 Junium incidit, monasterii fundationem adnotarunt Morimundensis, et Antissiodorensis chronographi: Claravallenses ab inauguratione abbatis. » Sed contra est, quod in dictis versibus *creatur* videatur melius referri posse ad præfecturam Claravallis cœnobii, quam S. Stephanus Bernardo, e Cisterciensi monasterio cum suis discedenti, commisit (de qua re actum est supra) conformiter ad verba tabellæ, ad quæ nihil ibi apud Chiffletium responsi invenio, cum in ea clare ac distincte dicatur: « Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Junio, » missus noster sanctus cum potestate utique abbatis, tunc quidem a suo superiore constitutus seu creatus, sed dicto mense nondum consecratus ab episcopo. At de ista consecratione dicentur plura § proximo.

D § VI. *Consecratur abbas Claravallis, monasterii hujus angustia miraculis sublevatæ; cibus spiri-*

tualis a sancto, per apparitionem monito, Claravallis porrectus.

61. Guillelmus libro I, cap. 4, de sancti consecratione hæc memoriæ prodidit: « Cum autem missus noviter Claramvallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat; quærentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illicque eum transmittendum esse, diffinitum est. Sicque factum est. Chiffletius in Appendice ad Diatribam superius allegata cap. 20 a pag. 676 e textu Guillelmi, quem modo protuli, hanc proponit et solvit difficultatem: « Quomodo, inquit, vacabat sedes Lingonensis anno 1115, cum Joecerannum constet, ex anno 1112 in 1125 Lingonensem fuisse episcopum, ut ex Chronico Benigniano retulimus pag. 505? Sed responsio in promptu est, vacasse tum sedem Lingonensem improprie; non quod nullus tunc esset Lingonensis episcopus; sed quod anno illo 1115 abesset ab episcopatu suo; fortasse in itinere ad limina apostolorum, vel ad synodos aliquas, quæ frequentes illis ipsis temporibus a Guidone Viennensi, apostolico per Gallias legato cogebantur. » Ita Chiffletius. Qualiter autem sanctus noster, « Catalaunum, assumpto secum Elboldone (*al. Elbodone*) monacho quodam Cisterciensi, » ut laudatus Guillelmus ibidem narrat, profectus, et prædicti episcopi domum ingressus, ob externam corporis speciem contemptui fuerit nonnullis, ad irrisionem usque; sed episcopo summa in veneratione habitus; quantaque e primo amorum congressu orta inter eos fuerit familiaritas non sine summa Bernardini nominis per Galliam universam propagatione, apud Guillelmum eundem invenies.

62. Nec his attexam alia, quæ biographus iste præmiserat de angustis Claravallis cœnobii temporibus primis, earumque per varios sublevatione; item de immenso ejusdem cœnobii incremento, quod sancto abbati in quadam visione exhibitum est, rei deinde eventu veritatem comprobante; ac denique de studio perfectionis, et conversione sororis ejus; cum idem Vitæ scriptor consuli de his possit cap. 3 et 4. Quia tamen Joannes Eremita de arctissima inopia, qua visum est divinæ providentiæ, abbatem sanctum ac subditos ejus exercere ac probare, diversa narrat, variisque deinde probat exemplis, ad ejusdem sancti gloriam omnino illustribus, divinitus fuisse prospectum maximis illis rerum temporalium apud Claravallenses angustis, idcirco Guillelmum abbatem e laudato Joanne supplemum censeo, qui libro II, col. 1285, num. 2, apud Mabillonium de penuria victus locutus, de vestitu ista subdit: « Indumenta vero eorum tam in æstate, quam in hieme, cuculla et tunica, quæ rarissime innovabantur. Caligis quoque utebantur vilibus, et calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus et dissutis, antequam repararentur. quæ præ nimia corii pauper-

tate ligabant funiculis. O viri generosi et magni in sæculo! Quis ad hæc loca arida et periculosa vos adduxit, nisi ille, qui dives erat in cœlis, et pauper humilisque in terris in præsepio recubuit? » En tibi nunc erectum abbatis animum, et summam fiduciam de auxilio Dei opportuno in tot tantisper malis.

63. Idem quippe scriptor Vitæ a col. 1285, num. 3, ita pergit : « In illa tanta penuria, de qua supra diximus, inter cæteras necessitates, sal die quadam defuit eis. Et vocavit sanctus abbas unum de fratribus suis Guibertum nomine, dixitque ei : Fili Guiberte, accipe asinum, et vade ad nundinas, et eme nobis salem. At ille respondit. Ubi est pretium? Ad quem homo Dei : Crede mihi, fili, quia nescio tempus quo aurum vel argentum habuerim. Sursum est enim qui habet peram meam, et thesauros meos in manibus suis. Tunc frater ille quasi subridens ait : Si vacuus perrexero, vacuus redibo. Cui ait sanctus : Noli timere, fili mi, sed vade securus. Ille enim, qui habet thesauros nostros, sicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, et præbebit omnia propter quæ mitto te. Ad hæc verba, sumpta pii Patris benedictione, perrexit cum asino ad nundinas, ad castrum cui nomen Risnellum, plusquam oportet incredulus. Sed pius et clemens Dominus non respexit suam incredulitatem, sed consideravit servi sui fidem, et tribuit ei omnem rem pro qua missus fuerat. Itaque cum castro appropinquasset, et venisset ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui salutavit eum, dicens : Unde es, frater, aut quo pergis? At ille respondens exposuit ei diligenter itineris sui causam, et paupertatem loci, in quo habitabat Pater sanctus cum filiis suis.

64. « Quæ cum audisset presbyter, vehementissime compunctus est : et duxit fratrem in domum suam, deditque illi medietatem modii salis, et quinquaginta solidos vel amplius, sicut sæpe narrare consueverat idem Guibertus. (Quibus acceptis, cepit gratias agere Deo immensas, et dicere in animo suo : Procul dubio verus est sermo, quem audivi a Patre meo; sed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, sed incredulus veni huc. Et valefaciens presbytero, reversus est ad monasterium. Quod cum ingressus fuisset, cucurrit ad hominem Dei, et retulit ei omnia, quæ sibi in via contigerant. Cui dixit Pater sanctus : Dico tibi, fili, quia nulla res tam necessaria est omni Christiano quam fides. Habe ergo fidem, et bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. A die illa et deinceps tam frater ille, quam alii verba sancti Patris in majore habuerunt reverentia. O bone Jesu, fidem quam habuit iste sanctus, quis enarrare potest? » Aliud deinde Joannes biographus exemplum producit, num. 4 :

65. « Quidam de Clementiniprati fratribus adveniens, visitandi gratia novellam Christi plantationem, honorifice susceptus est, prout fieri potuit : cui, qui in promptu erat, oblatus est dimidius panis avenaceus. Quo suscepto, et cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementi-

numpratam, omnibus inibi habitantibus annuntiavit servorum Christi voluntariam in maxima paupertate abstinentiam, in abstinentia patientiam, in egestate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, et compatientes Clementiniprati fratres, in eorum subsidium communiter assenserunt. Tunc magister loci illius, Odo nomine, vir venerabilis, dilectus a Deo et hominibus, oneratis equis et asinis, panes et cibaria in quadrigis detulit. Tunc vero a die illo usque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communio inter Claramvallem et Clementinumpratam, quod quando fratres Clementiniprati Claramvallem adveniebant, ita eis deferebatur, sicut uni Clarævallensium in spiritualibus et humanis, Defunctis etiam vicissim reddebatur obsequium. In hunc modum pius Jesus magis ac magis providebat servis suis. » His adduntur ista num. 5 : « Advenit etiam mulier quadam centum solidos afferens, quibus contexta est pedum eorum nuditas. » Sequuntur deinde facta duo alia, quæ Manricus refert ad annum proxime sequentem 1116. Nos tamen, seriem narrationis biographi Joannis prosequentes, utrumque ex ipso prioribus hic subjungimus. Et primo quidem loco quod narrat, sic habet :

66. « Cunctis animalibus carebant, excepto asino, quo abbas ad visitationes suas deferebatur, lignaque ad necessitates comportabantur. Coacti vero fame, frigore, et aliis indigentibus, abbati suo conquesti sunt, quod pro nimia paupertate discedere cogentur. Quo audito, abbas blande ac leniter consolans eos, Dei timorem et amorem, spem quoque vitæ æternæ et remunerationis divinæ, quantum potuit, insinuavit. Illi vero maxime angustiat, et angustiat dolore multiplici, nullatenus volebant consentire, sed magis volebant Cistercium reverti. Cumque vir Dei desperationem illorum vidisset, demum convertit se ad orationem. Quo facto, audivit vocem de caelo dicentem sibi coram omnibus : « Surge, Bernarde, exaudita est oratio tua. » Quod cum audissent fratres glorificaverunt Deum et sanctum suum Bernardum, dixeruntque ad eum : « Dic nobis, Pater, quid petisti a Domino? » At ille respondit : « Quid vultis scire, modicæ fidei? State hic, et scietis postea. » Et cum fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, sed sermonibus sanctis, venit quidam, et obtulit sancto Patri decem libras.

67. Alterum vero ita memorat prædictus Vita scriptor a col. 1286 : « Nec mora, Barrensis quidam, cujus filius usque ad desperationem vitæ præ nimia ægritudine cogebatur, attulit ei tredecim libras, suppliciter postulans ut misereretur filii sui. Quem sanctus abbas hilarem dimisit, pollicens filium suum sospitem ab eo inveniendum. Revertens homo invenit filium suum sanitatum, sicut promiserat vir Dei. Qua de causa postmodum servo Dei uberes gratias exsolvit. Modico tempore interjecto, copiose ac benigne misericordia Dei super hos respexit, ut abundantes æternis et temporalibus sub-

sidiis, nihil eis deesset in ulla gratia, secundum illud : Nihil deest timentibus Deum. » Eventibus hisce miris ac seriis subjungamus miraculum spurium et apocryphum ex Maurico ad annum 1116, cap. 1, num. 5, ubi illud his verbis exponit ac rejicit :

68. « Equos sine rectore vagari solitos, et vicinos populos discurrere colligendis fidelium elemosynis, quas illic ad cœnobium reportarent, ab oppidanis cujusdam villæ proximæ per ludibrium an per rapinam spoliatos, et pro panibus saxis onustos immensi ponderis, traditio est ab incolis recepta. Porro Bernardo patre flagitii conscio (equis quippe sub pondere gementibus, eoque citius rem ipsam publicantibus) atque exsecrante aggressores impietatis, terram repente scissam in duas partes locum cum incolis simul absoruisse, ecclesia sola immota permanente, pro certo habent. Et sunt qui credant in memoriam tanti miraculi, eam etiam paulatim absorberi, nempe ad unius argentei grossiæ per annos singulos, ecclesia, loco, saxisque monstratis, quæ major fabulæ fides astruat. Adeo nulla omnino terra est, quæ non labore fabellis incolarum, a quibus ne sancti viri [quidem] omnino immunes. Utrum autem ejusdem rationis sit similis alia quædam maledictio, qua idem sanctus Aquitanie prædicans dicitur impetisse Viridefolium, illius provincie locum non exiguum, suo tempore dabimus. Nunc sufficit hæc seriis permiscuisse quasi per olium. » Potuisset addere Manricus nec sine fructu : cum utile admodum sit, traditiones hujusmodi mere populares convellere, ac discernere miracula falsa a veris. Idque locum habet potissimum in S. Bernardo; qui quoniam pene innumerabilibus abundat veris, palliari nec debet nec potest falsis, ne his illorum fidei quidquam detrahat.

69. « Supererat secunda, et major fames spiritualis cibi, verbi nimirum Dei, Bernardo Patre aut timidius prædicante, aut omnino silente, ne nimio zelo et rerum inexperto læderet, ut putabat, conscientias fratrum, sive, ut Guillelmi abbatis verbis utar, ne prædicatione ejus scandalizarentur potius, quam aliquid perciperent ædificationis. Sed qui priorem miraculo compescuit, posteriorem grassari non permisit, majori Ecclesie bono reprimendam; quippe Bernardo assumpto ab ipso Deo in ministerium verbi, prædicationis officio illi injecto, eoque ad tantum opus adaptato virtute divina; » ut loquitur Manricus ad annum 1116, cap. 1, num. 6. Res ista plenius tractatur a Guillelmo in Vita sancti lib. 1 cap. 4, unde delibo ista : « Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum charitate [al. claritate] quadam divina astantem sibi, et magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui, quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et ex tunc manifestus in eo et per eum loquens Spiritus sanctus... apud auditores quoque ei gratiam

addidit, et auctoritatem et intellectum super egenum et pauperem, peccatorem penitentem, et veniam postulantem. » Manricus mox citatus superaddit num. 7, ex Cæsario in octava Nativitatis Domini, « Cum tempore quodam nescio quid dictaret, et testimonium haberet in promptu, quod præsentem loco congruebat, velletque reservare in finem, timens ibi defectum, audivisse de cœto dicentem vocem : *Si istud reservaveris, aliud non dabitur tibi.* Ipse itaque sanctus loquens jam non loquebatur, sed Spiritus sanctus, qui erat in eo. Rebus ergo temporabilibus ac spiritualibus novæ cœtus Clarævallensis ita prospere ac feliciter divino favore compositis, alia quædam videamus, ad ejusdem cœnobii, atque adeo ad primi abbatis ipsius laudem perquam accommodata.

§ VII. *Monasterii Clarævallensis incrementum a sancto abbate prævisum; difficultates ob canonicos Victorinos ad illud admissos; rei gestæ tempus; mirabilis cum imperito medicoviri sancti infirmi patientia; patris ejus conversio.*

70. Prævisio abbatis nostri de ingenti sæcularium ac regularium hominum ad Clarævallenses cœnobitas accessu (vidit enim undique, ut refert Guillelmus cap. 3, numer. 29, tantum diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset) prævisio, inquam, illa quomodo per hæc tempora impleta sit, accipe. Enimvero « celebri ejusdem domus fama, » inquit Manricus ad annum 1116. cup. 2. num. 1, « per totam Galliam, multi religiosi, relictis propriis sedibus, atque ex veteranis, imo et emeritis in probata militia ducibus tirones efficiendi in Clara-valle, Bernardi Patris ductum perquirebant. » Et mox apud laudatum Annalium conditorem hæc probantur auctoritate Exordii magni lib. 1, cap. 4. Sed quia illa non lego ibi in editione Tissieriana, in fide Manrici ea referentis, huc transcribo : « Postquam gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi domus Clarævallensis fundata est, ut fragrantissima sacræ religionis ejus opinio multis fieret odor vitæ in vitam; inter cæteros, quos divinæ bonitatis arcanum consilium de diversis mundi partibus vocavit, plures religiosi viri, qui suis in locis perfecti in religionis observantia videbantur, audientes quod tam specialiter et excellenter magnificasset misericordiam suam Dominus cum domo eadem, et cæcis sanctissimo abbate, tanquam novi tirones ex eremitæ [f. eremiticæ] militiæ laboribus venientes, tantæ sanctitatis collegio sociari ferventissima spiritus devotione cupiebant.

71. « Inter quos primi vel inter primos præcipui exstiterunt Humbertus, Igniacensis cœnobii postea primus abbas, Raynaldus, et Petrus cognomento Tolosanus, Guillelmus, et Gerardus Farfensis, qui non quidem uno in loco, sed diversis et multum inter se distantibus provinciis habitantes, ita se ab ipsis infantie rudimentis

divinis obsequiis mancipaverunt, ut in omni virtutum gratia florentes, alienis quasi perfectioribus exemplis institui minus necessarium haberent viderentur. » De ratione autem temporis sic Manricus monet : « Porro ex his, qui ibidem numerantur, etsi non omnes, nam id prorsus incertum; aliquid tamen ad hunc annum referendi, præcipue Humbertus, ingentis sanctitatis vir de quo plura in sequentibus dicemus. Nam ipso Clarævallis initio Claramvallem venisse, ipse etiam Bernardus Pater testis est in sermone speciali de ejus obitu, » qui habetur vulgatus in editione Mabilloniana operum S. Bernardi a colum. 1066, et in quo idem sanctus Pater : » Nobiscum, ait, triginta annis ab ipso pene principio monasterii hujus conversatus est. » Mabillonius in notis huic sermone subditis observat, dignissimum hunc virum in monasterio Casæ-Dei (sub regula S. Benedicti) viginti a prima ætate annos monachum vixisse, antequam ad Claramvallem se reciperet. Quod factum sub annum 1118. » Sermo vero innectitur apud ipsum anno 1148.

72. Qualis vero quantusque, et quam dignus Bernardi Patris filius exstiterit Humbertus, liquidissime constat primo ex eleganti ac pathetico illo, quem indicabam, sermone, summis utique ipsius elogiis, ac tenerrimis erga eum amoris affectibus ab eodem sancto respersus. Secundo quia idem ipse S. Bernardus, referente Manrico num. 3, ex auctore Exordii Cisterciensis, « Humbertum Dei famulum ad imitandum perfectionis exemplum sibi proposuerat, ipsius virtutes admirari satagens, et merita ejus magna et sublimia æstimare ipsum sanctitatis exemplar, religionis formam, monasticæ puritatis speculum reputare, » etc. De ejus obitu tractat Manricus tomo II, ad annum Christi 1145, cap. 8; de Igniaco autem (*Igni en Tardenois*) in diocesi Remensi, ubi eum abbatem fuisse diximus, Jongelinus antea designatus, pag. 41.

73. « Hoc eodem anno, certe non multo post, additos censeo, » ait Manricus num. 6. « (quo magis impleretur visio sancti Patris), quosdam sancti Victoris Parisiensis regulares canonicos domus fundatæ a Guilhelmo de Campellis, antequam Catalauno præficeretur, atque per eum sanctitatis Bernardi ræ aliis consciæ, ipsumque venerantis etiam non um visum. Hi. crebris epistolis sui fundatoris... Claramvallem visitant, atque ad Bernardi genua provoluti, suscipi se probandos enixe posulant; si approbentur, perpetuo permansuros. Ille, ut erat maturus in negotiis, atque juris alieni summe observans, neque omnino admittens neque repellens, Guilhelmum ipsum duxit consulendum, ut fundatorem illius congregationis, ut virum æque sanctum doctumque, et, quod aditum fiduciamque præstabat, ut sibi charum. Direxerat devotus præsul viros in Claramvallem,

et eisque mutandæ vitæ auctor exstiterat. Quare a Bernardo consultus, sibi conformis, tale fertur responsum tradidisse : Canonicos ejus judicio debere suscipi (propter rationes, quæ apud Manricum legi possunt). Addidit tamen, se supplicem rogare amicum intercedere, quin et episcopum, qua poterat, injungere, neque id pro extraneis, sed pro filiis. Hæc sanctus præsul sine æmulatione : neque quia deesset zelus propriæ foundationis, imo et ordinis (nam et ipse, archidiaconatu dimisso, canonici regularis habitum induerat) sed quia zelus Dei prævalebat in viro sancto, Bernardus Pater tali consilio fretus, vel magis pressus tanta auctoritate (et quosdam alios ad idem consuluerat) canonicos admisit ad probationem.

74. « Sed Gelduinus S. Victoris abbas. . . acerbe ferens suis se filiis orbem etiam ignarum... convocatis suis canonicis, ad Bernardum scribere decrevit humilem sane, ac veneratione viri Dei, et totius conventus Clarævallis plenam epistolam, sed minacem tamen, et excommunicationis gladium aut exerentem, aut, ni resiliant, exerere parantem contra novitios. His susceptis Bernardus Pater, quo erat adversus convitia laudesque æquali semper atque in bonum firmato animo, tale constat responsum tradidisse » quod, si quis intergrum videre voluerit, inveniet illud in epistola tertia inter Bernardinas, quæ exstat apud Mabillonium volumine primo col. 13 et 14, ubi eadem innectitur anno 1120, de quo mox dicam. Interim quid in hoc negotio egerit vir sanctus, satis aperte indicat epistolæ clausula his verbis : « Talibus itaque taliter susceptis, absit ut sinceritatem vestram, aut in suscipiendo læsam, aut in retinendo lædendam esse credamus : dum tamen illos, si forte infra annum probationis... cœpta deserere, et ad vos redire velle contigerit, invitos non detineamus. Alioquin, sanctissimi fratres, vestra non refert, ut spiritum libertatis, qui in eis est, anathemate inconsulto frustra impedire nitamini, nisi forte (quod Deus avertat!) quæ vestra, non quæ Jesu Christi sunt querere studeatis. »

75. Quid postea circa illos sit actum, si quæras, Manricus num. 10, asserit, se non dubitare, quin retenti fuerint, « quorum non ulla memoria ulterius exstat; sive id auctoritate Guilhelmi delatum sit, sive Bernardi Patris, sive utriusque. » Nec vero prima hæc controversia in hac materia fuit postrema. « Hanc quippe primam litem, » teste Manrico, « agitatam super personis, multæ aliæ, et pleræque graves secutæ sunt : et imminabant plures, si non Bernardus et juris sui retinens, neque alieni invasor, obviasset, multis repulsis, nec dilatis paucis, sed constanter retentis semel admissis; quod ipsa historiæ series demonstrabit. » Atque hæc de primis flosculis in amœnissimo Clarævallensi horto plantatis sub Patre Bernardo, ejusque cura excultis : qui, ut subdit Manricus num. 11, cœnobium ingredientibus illud monitum dabat :

« Si ad ea quæ intus sunt, festinatis, hic foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis. Soli spiritus ingrediantur : caro non prodest quidquam. » Quæ dictus auctor exponens, « absterruisset, ait, multos verbum hoc, si non teneris parcens, exposuisset de concupiscentia et affectibus carnalibus, quos foris relinquerent, nequaquam utra ab ipsis resumendos. »

76. Quod paulo ante promiseram de anno epistolæ tertiæ S. Bernardi, nunc solvo, præsertim cum hujus annus sit characteristicus ad figendum tempus controversiæ inter Clarævallenses et Victorinos Parisienses exortæ, de qua modo agebamus. Manricus num. 10, citati, antea anni 1116, quod res illæ eo referendæ, aut saltem non sint differendæ per longum tempus, « ipsa Guilhelmi acta, eujus hortatu et consilio Bernardus usus, manifeste, ait convincere; quippe qui vivere desiit mense Januario anni millesimi centesimi decimi noni; quod, uti addit, ex Necrologio S. Agulphi Corboliensis idem Joannes Picardus (quem paulo ante citaverat in notis ad epistolam D. Bernardi) annotavit. Ut ergo epistola post hunc annum (1116) scripta sit, procedente negotio; at hoc, aut ad summum sequenti inceptum, admissis viris, minus potest in dubium revocari. »

77. Sed non videtur Manricus satis firmum pedem hic figere. Laudatur Guilhelmus de Campellis (*de Champeaux*) etiam cum cognomento venerabilis apud Sammarthanos in episcopis Catalaunensibus, et « excessisse e vivis anno 1121, VIII Kalendas Februarii, sicuti docent tabulæ S. Stephani, et Albericus, » ibidem asseritur. Idem annus habetur apud Mabillonium in notis ad epistolam tertiam S. Bernardi. Et vero eundem præsulē vitæ functum non fuisse anno 1119, ut volebat Manricus, suadet in notis ibidem his terminis : « Conon cardinalis et legatus in Mauriniaciense prope Stampas cœnobium accessit anno 1120, habens secum velut auxiliatorem magnum Willelmum Catalaunensem episcopum, qui sublimes scholas (*id est theologicas*) rexerat; et tum zelum Dei habens, super omnes episcopos totius Galliarum divinarum Scripturarum scientia fulgebat ex Chronico Mauriniaciensi. Unde redarguas eos, qui ejus obitum reponunt anno 1119. » Non itaque secundum præmissa, debuit necessario accessus canonicorum regularium ad Clarævallenses accidisse anno Christi 1116, aut proxime sequenti; non item epistola Bernardiana fuisse conscripta ante annum 1120. Dicamus ergo, nihil incommodi nobis videri in eo, si utrumque hoc factum ponamus anno Christi 1119 vel 1120.

78. Manricus ad dictum annum 1116, cap. 3, exhibet sanctum Patrem gravi infirmitate laborantem ex nimia vitæ austeritate; Guilhelmum Campellensem mirifice sollicitum de restituenda ei valetudine; præparatumque in hunc finem tugurium. Deinde ad annum 1117, cap. 1, num. 4, memorat viri salutem imperitissimo rustico com-

missam, et gravissima incommoda quæ sustinuit. Nos gesta illa huc non transcribimus; sed assignamus Guilhelmum biographum cap. 4, ubi narrat ea quæ vidit. Ibidem etiam invenies sanctum visionem angelicam recreatum : capite autem 5, resumptum a viro sancto pristinum vivendi rigorem, eumque valde severum. Quæ vero idem Vitæ auctor cap. 4, num. 34, præmiserat de sancti patre ad institutum monasticum converso, illigat Manricus prædicto anno 1117, ut videre ibidem licet cap. 3, num. 8. Conversionem hanc brevissimam perstringit citatus Guilhelmus; sed alibi longior est narratio, variis, quæ rem circumstant, ac Bernardo in hac re tribuuntur, adjunctis vestita : sed quæ aliquo examine indigent.

79. Capitis tertii modo notati num. 9, Manricus ea recitate Vincentio Bellovacensi in Speculo morali lib. III, pag. 3, distin. 22, in fine : « Cum beatus Bernardus convertisset omnes suos, et secuti fuissent eum, pater ejus inobediens erat ei, in sua duritia perseverans. Cum autem semel in villa sua prædicaret, nec vellet ei pater suus obedire, præcepit, quod apportaretur ignis. Quo facto, applicavit eum ad quemdam truncum veterem, qui erat ante portam ecclesiæ : et cum laboraret ad eum succendendum, non poterat accendi, sed fumabat. Tunc injunxit omnibus, ut post comestionem illuc convenirent ad sermonem, et quod quilibet apportaret secum unum fasciculum de malleolis sarmentorum projiceret super illum truncum. Quo facto, præcepit ignem apponi, et succensus fasciculis, etiam truncus succensus est, maximum ignem emittens et flammantem. Tunc beatus Bernardus cepit sermonem de tormentis et igne inferni, quomodo inobedientes, fasciculis peccatorum suorum super eos projectis, torqueretur in inferno. Et de hoc ita excellenter prædicavit, quod ipsum pater suus durus et inobediens ad claustralem obedientiam secutus est. » Hæc Annalium Cisterciensium auctor e Vincentio; qui tamen cum alibi ipse secum non conveniat, vereor ne non conveniat cum vero.

80. Id quod ita exprimit Manricus : « Dum eundem eventum in eodem opere morali diversimode accidisse testatur; fidem dictis demere videtur sibi contrarius. Certe lignis ad truncum applicatis atque succensus, in quo utrobique convenit, reliqua longe aliter narraverat lib. II, pag. 3, dist. 4. « Quo facto, ligna sicca cito succensa sunt, et truncus tarde circa medium ab extremis emittens humorem fetidum et fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incoepit sanctus loqui de poenis inferni, dixitque patri, quod ipse esset similis illi trunco, qui hic non poterat igne divino succendi; sed in inferno, nisi poenitentiam ageret, in æternum arderet, et foetentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater compunctus, eum secutus est, et monachus effectus. » Ita Vincentius discordans a se ipso... » nec concordans cum biographo Guilhelmo, qui omni exceptione est major, et sine loco conversionis, sine persona, per quam